



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia**

**Tamburini, Tommaso**

**Lugduni, 1689**

Vitali Valgvarneræ Del Caretto, Arenellæ Duci.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)



# METHODI

## EXPEDITÆ COMMUNIONIS

### LIBER UNICUS.

Illustrissimo atque Amplissimo D. D.

VITALI VALGVARNERÆ  
DEL CARETTO,  
Arenellæ Duci.

THOMAS TAMBURINUS S. I. sempit. Felic.



QUIDEM, Dux Amplissime, tam humili munusculo tuæ benignitatis ædem non adire, nisi illius veteris pareniæ memor essem, AD ARAM GRATIARVM ANIMVS, NON HQSTIA CENSETVR. Video debilitatem ingenij mei, video Opusculi, quod tibi consecrandum offero, tenuitatem. Verùm & animum meum tibi addictissimum, & animi tui augustam aram grâtiis undique redundantem etiam video. Munera vel levissima si à magno Principe, hilari vultu, admittantur, grave momentum accipitur. Accedit quod nobilitati generis nescio quid inditum solet esse non vulgaris humanitatis. Quid ergo non sperem à tua dulcissima morum facilitate, cum Nobilium majorum tuorum præclaro sanguine quasi per purissimos canales, in te generosè transfusa? quorum certè seriem si numerem, numerem pariter Oceani guttas, littorum arenas, Cœli stellas. Tui generis nobilitas ex Castello Valguarneræ in Comitatu Ampurias, siue hodie Ampuradan, parum à Paralada Metropoli distante, originem, octingentis ab hinc ferme annis feliciter duxit. (Stephanus Berela in *Cenotaphia Barcelona*, cap. 78.) Secundus est non longo intervallo Simeon Valguarnera, unus ex præclarissimis Ducibus, qui, regnante Barcinonæ Comite Ramon Berenguer, huius nominis tertio, & Maiorom ditione Maioricam vindicantur. Inde ortus filius Bernardus Guillem, inde nepotes Goffredus, Franciscus, Ioannes, Gibertus: inde propè innumeri generosi, pares avis suo ordine Pronepotes. Petrus Thomai cap. 31.) Simeonem, & Vitalem amantissimos fratres, quibus primo Oppidum, & Baroniam Assori concessit Martinus Rex, tanquam eminentissimos Sæculi sui æquales illorum temporum sunt admirati. (Fazellus *de rebus Siculis dec. 2. lib. 9. cap. 7.* (Ex Vitali Vitalis. Secundus, ex hoc Ioannes quem Alphonsus Rex sui Camerarij titulo condecoravit, innumerus insuper beneficiis cumulatum. Semel is Messanæ Stratigotus, semel totius Regni Sicilia Præses, sapiens Equestrium Pèdestriumque Copiarum Ductor (Franciscus Baro *de Maiestate Panormitana* lib. 3. c. 11.) Sileo de cæteris, Franciscus enim Princeps pater tuus Panormi olim Prætor, eiusdemque ad Ducem Alburquerch Sicilia Proregem legatus: Atque Amplissimus Ioseph frater Germanus tuus, qui nunc in omnium oculis vivit Princeps Valguarneræ, atque Illustris Dominus D. Poncius tunc patruus in S. Philip. Nerij Panormitana Congregatione Sacerdotio nobilis, ac singulari virtute, dulcissimisque moribus, vitam cœlestem ducens, satis superque sunt ad tuam Familiam ill'ulstrandam: quam tu novo Ducis Arenellæ titulo dum exornas, fortunam Primogeniti fratris æquasti, & naturæ munera virtutis beneficio supplevisti. Verùm ut ad nostra redeam, feliciter quidem cecidit in rem meam vel ipsum nomen tuum, Vitalis, Dux Amplissime, à quo scilicet, fortunato omine VITA transfusa lucubrationes nostras animabit. Iuvat, iuvat sperare libellum hunc parem iterum cum meritis tuis, eademque æternitate, qua illa perfruentur, perennaturum. Spem tantam firmaveris, si qualecumque hoc meæ observantiæ pignus in tuam clientellam receperis. Vale.

In